

factione congrua emendaverit, potestatis honorisque A sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Dei Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem cœnobio sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

(S. p.) Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ episcopus. (B. V.)

Ego Guido diaconus cardinalis Sancti Adriani.

Datum Bari per manum Lucæ presbyteri cardinalis, agentis vicem domini Almerici, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, xi Kal. Julii, B indictione xv, Incarnationis Dominicæ anno 1137, pontificatus autem domini Innocentii papæ II anno viii.

CCLXXXIX.

*De reverentia debita canonicis Sancti Sepulcri.*

(Anno 1137, Jul. 18.)

[DE ROZIÈRE, *Cartulaire du Saint-Sépulcre*, p. 5.]

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus F[ULCHERO,] Tyrensi archiepiscopo, JO[ANNI] Acconensi, B[ERNARDO] Sidoniensi, B[ALDUINO] Berithensi [episcopis], Tyrensis Ecclesiæ suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Tunc in Ecclesia Domini juxta illud sacri eloquii est charitas ordinata, cum subjecti prælati obedientiam et reverentiam deferunt, et prælati non ut dominantes in clero, sed potius se mansuetos ac benevolos exhibent. Si enim in rebus sæcularibus suum cuique jus et proprius ordo servandus est, multo magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio. Hujus rei gratia, fraternitatem vestram exhortamur in Domino et apostolica auctoritate mandando præcipimus quatenus venerabili fratri nostro Willelmo, Jerosolymitano patriarchæ, debitam reverentiam exhibeatis, ipsumque, prout tantum virum decet, pariter honorare curetis; qui enim aliis se novit præpositum esse, non indigne ferre debet sibi alium esse prælatum.

Datum in territorio Potientiensi, xv Kalendas Augusti.

CCLXXX.

*Ad Petrum abbatem Cluniacensem.*

(Anno 1137, Jul. 20.)

[*Biblioth. Cluniac.*, p. 765.]

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO abbati Cluniacensium, salutem et apostolicam benedictionem.

Super sollicitudine atque diligentia quam erga nos et beati Petri negotia te exhibere cognovimus, omnipotenti Deo et tuæ devotioni gratias agimus. Benedictus igitur Dominus Deus Israel, qui visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Qui etiam ita nobiscum magnificare dignatus est misericordiam suam.

PATROL. CLXXXIX.

ita fecit prosperum iter nostrum, ut ab urbe Roma usque Barrum, vix aliqua civitas castrumve remanserit quod beato Petro et nobis subjectum et obediens non existat. Qua in re gaudemus divinæ manus antiqua coruscare miracula, dum sancta Ecclesia quanto amplius sub malleo tribulationis tundi conspicitur, tanto altius sublevatur [at. sublimatur], et more aromatum, quo magis verberibus teritur eo latius odorama sua suavitatis effundit. Et quidem optabile nobis erat si, quemadmodum nobis per litteras indicasti, personæ tuæ possemus habere præsentiam, ut vel sic labores nostri diurni atque nocturni valerent Deo propitio mitigari. Sed quoniam æstivi fervores et aeris intemperies, necnon fragilitas complexionis tuæ id minime patiuntur, B charitatem tuam hortamur in Domino quatenus, his omissis, una cum sacro Cluniac, collegio, orationibus consuetis insistas, ut benignitatem quam Conditor noster voluit nobis hactenus exhibere, felici consummatione perficiat: et diutinis laboribus sponsæ tuæ atque Christiani populi, sub jugo illius tyranni Siculi macerati, vestris et aliorum religiosorum precibus inclinatus, jam nunc optatum finem imponat. Quod profecto, sicut de ipsius pietate confidimus, velociter consummabitur. De cætero præfatum conventum per te in Domino salutantes, nos et fratres nostros tuis, et eorum orationibus commendamus.

Data in territorio Potientiensi xiii Kal. Augusti.

CCLXXXI.

*Bulla pro Aldone primo abbate Castellionis.*

(Anno 1137, Sept. 20.)

[*Gall. Christ.*, IV, Instrum., p. 170.]

INNOCENTIUS, servus servorum Dei, dilecto filio ALDONI abbati S. Mariæ de Castellione ejusque successoribus, etc.

Quod per aspirantem gratiam, dilecte in Domino fili Aldo abbas, in B. Dei Genitricis ecclesia constitutus, nobis extat acceptum, unde etiam charitatem tuam duximus commonendam, ut more boni agricolæ commissam tibi vineam summi patrisfamilias diligenter excolere, eamque pro viribus meliorare contendas: quia vero exhortatione confratrum nostrorum Guilenci quondam Lingonensis episcopi et Bernardi Clarævallensis abbatis est in B. Mariæ ecclesia institutum, ut obeuntibus sæcularibus ejusdem loci canonicis, non nisi regulares substituantur, id ipsum nihilominus gratum habemus, statuantes ut decedentibus sæcularibus canonicis, qui in præsentiarum apud vos esse noscuntur, nullus eis nisi regularem vitam professus canonicus subrogetur. Sancimus etiam ut quascunque possessiones idem locus hodie canonicè possidet, aut in posterum concessione pontificum, largitione regum et principum poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus permaneant. Nulli ergo, etc.

Ego Innocentius Ecclesiæ Catholicæ episcopus.

Ego Drogo Ostiensis episcopus.